potentiam Dei, qui *triſtiſſima Meſſiæ fata* præter omnem hominum opinionem *in ſummam* converterit *majeſtatem*, concelebrantium. LIII, 1. III. *Status*, quem vocamus, *eximanitionis* deſcribitur. *Humilis nativitas; cum miſeria & paupertate colluctatio*; omnium *contemtus*; ipſorumque *apoſtolorum*, propter concatenatas impetum in eum facientes tribulationes, *exigua fides*. v. 2. 3. IV. Quæ vero ſingula illi eveniſſe, *ut* hominum *per eum expiarentur peccata*, intellecturi ſint fideles. v. 4-6. V. Quare *vexationes* ipſamque *mortem*, pergit propheta, in cruce *patientiſſimus perferet*. v. 7. VI. *Reſurrectione* vero ab hoſtibus *triumphans*, *æternum vivet*. v. 8. VII. *In hos vero, qui ipſum in crucem egerunt*, ſeveriſſime *animadvertet*. v. 8. VIII. Ad *ſepulturam* ejus revertitur vates; quam, *inter maleficos* ipſi *deſtinatam*, *in viri divitis monumento* ſit inventurus. v. 9. IX. Repetit denique, *has Chriſto eventuras calamitates*, *ut* generis humani *tollantur peccata*, & ad ſanctiſſimam illius doctrinam converſi, quorum ingens futurus ſit numerus, *per fidem ſerventur*. v. 10-12.

§. III.

Pauca in illis δυσνόητα, & in his v. 9. de Chriſti ſepultura.

Eſt hæc *per Eſaiam* vatem ad vivam picta optimi *ſervatoris imago*. Ex cujus lineamentis illi coævos de ejus perſona non felicius tuliſſe judicium, jure meritoque miramur. Sed quid *præjudicatæ* non poſſunt *opiniones!* Quæ tantæ erant, ut, quibus fata ſua iterato prædixerat, *deſperationi proximi* eſſent *diſcipuli*, cum *ex cruce pendentem viderent*: Reſurrectionem nunciantibus *fidem non adhiberent*.

Omni-